

Alte Drucke

Davidis Chytræi In Historiam Iosvæ, Iudicvm, Rvth, in Prophetas & Psalmos aliquot; & Sententias Syracidæ

Chyträus, David

Lipsiae, 1592

VD16 C 2504 T. II

Caput II.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-148122

Etis malis benedicat pueris istis, & Psal. 33. Castra metatur Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos.

Caput II.

III. Vt ro
Funiculus
metiens Ierusalem.

ET leuavi oculos meos, & vidi: & ecce Vir, & in manu eius funiculus mensorius. Et dixi, quo tu vadis? Et dixit ad me, vt metiar Ierusalem, & videam quanta (sit) latitudo eius, & quanta longitudo eius. Et ecce Angelus, qui loquebatur in me, egrediebatur: & alius Angelus egrediebatur in occursum eius, & dixit ad eum. Curre, loquere ad puerum istum, dicens: Absq; muro habitabitur Ierusalem præ multitudine hominum & iumentorum in medio eius, & ego ero ei, ait DOMINVS, murus ignis in circuitu, & in gloria ero in medio eius. O' ò fugite de terra aquilonis, dicit DOMINVS: quoniã in quatuor ventos cœli dispersi vos dicit DOMINVS. O Sion, saluare, quæ habitas (apud) filiam Babylonis. Quia hæc dicit DOMINVS exercituum: Post gloriam misit me ad gentes, quæ spoliauerunt vos. Qui enim tangit vos, tangit pupillam oculi eius: Quia ecce ego leuo manum meam super eos, & erunt prædæ his, qui seruiiebant ipsis, & cognoscetis, Quia DOMINVS exercituum misit me.

Lauda & lætare filia Zion, Quia ecce ego venio, & habitabo in medio tui, dicit DOMINVS, & adiungentur gentes multæ in die illa, & erunt mihi in populum, & habitabo in medio tui, & scies quia DOMINVS exercituum misit me ad te. & possidebit DOMINVS Iudam partem suam in terra sancta, & eliget adhuc Ierusalem. Sileat omnis caro à facie DOMINI, quia confurrexit de habitaculo sancto suo.

LOCI PRÆCIPVI.

DRopositio & summa sex priorum Zachariæ capitum est: Templum & urbs Ierosolyma, seu ecclesia & politia Iudaica, certò instaurabitur & defendetur à Deo, donec veniet promissus Messias. Huius prophetiæ euentus,

uentus, videlicet historia reedificationis templi & murorum urbis Ierofolymæ, inter varias difficultates, impedimenta & aduersationes vicinarum gentium impiarum, recitatur in libris Esdræ & Nehemiæ: quorum lectionem studiosi ad hæc Zachariæ vaticinia adiungant. Pertinet autem hoc totum caput secundum Zachariæ ad *doctrinam de Ecclesia*, non tantum angustis finibus Iudææ & urbis Ierofolymæ conclusa, sed *toto terrarum orbe sparsa*, quam definit, innumerabilem multitudinem hominum ex omnibus terræ locis & populis collectam, quæ Christum Dominum, ab æterno patre ad Iudæos & gentes missum, recta fide agnoscit & celebrat, & in qua Dominus Deus ipse tanquam in templo habitat, eamq; non humanis præsidij aut muris, sed omnipotenti manu sua, velut muro igneo circumuallans, defendit & protegit, & suam lucem, sapientiam, iusticiam, vitam & lætitiã diuinã ipsi impertit. Hanc catholicæ Ecclesiæ seu spiritualis Ierofolymæ descriptionem, attexit Zacharias promissioni, de instauranda per Iudæos ex Babylone reduces vrbe Ierofolyma, quam promissionem initio capitis adumbrat visione architecti, funiculo mensorio longitudinem & latitudinem Ierofolymæ reedificandæ metientis. Nam in vrbe Palæstinae Ierofolyma & monte Sion, initium propagationis euangelij & ecclesiæ in reliquum orbem terrarum, faciendum erat, vt Micheæ 4. etiam audiimus, Itaque fugere Iudæos exules ex Assyria & Chaldæa, cuius metropolis Babylon, 170. miliaribus Germanicis à Ierofolyma versus aquilonem & ortum distat, & in Iudæam redire iubet, vt urbem Ierofolymam & montem Sion instaurent: vbi Christus nasci, prædicare, gloriosa suæ præsentis testimonia & miracula edere, gloriose ex morte resurgere, & post declaratam in terris gloriam suam ad gentes vocandas in totum orbem terrarum mittere Apostolos, & in quatuor cœli ventos seu omnes plagas mundi spargere & propagare ecclesiam possit: & ex ipsis Babylonij & alijs populis, quibus antea seruiuerunt Iudæi, multos ad seruitutem & obedientiam, prædicationi Apostolorum Iudæorum præstandam, potenti manu seu spiritu suo conuertat: vt cognoscant, quod **DOMINVS** Zebaoth æternus Pater, Christum **DOMINVM** Zebaoth filium suum miserit, sicut hanc missionem Patris, sapissime allegat ipse Christus Iohannis 8. 5. 6. & alibi.

II. Dulcissima Promissio mirandæ defensionis & protectionis Ecclesiæ, omnibus humanis præsidij destitutæ, & immediate à solo **DEO** custoditæ consideretur: **EGO** **PRO** **EI**, ait Dominus, **MURVS** **IGNEVS** in circuitu, & in gloriam ero in medio eius. Aliæ ciuitates & politia, muris, aggeribus, & propugnaculis, manu hominum factis, aduersus hostium invidias & violentiam muniuntur; sed Ecclesia Dei & omnes pij, plerunque nullis visibilibus muris alijsue humanis præsidij circumuallati sunt, ac ferè semper inter media pericula, præsentem mortem & *πανάληψιν* intentantia, mirabiliter à Deo proteguntur & seruantur. Sicut Daniel in medio leonum, aut Israëlita cum inermi multitudine mulierum & puerorum, ex Aegypto egredientes, nube ignea aduersus exercitum Pharaonis insequentem, & inter scopulos aquarum in mari rubro seruati sunt. Sic Maria virgo, Zacharias, Simeon, Ioseph, Elifabeth & aliæ piæ familiae, tempore nascentis Christi, vagantibus passim in Iudæa petulantissimis militibus, à Deo ipso, tanquam igneo muro circumuallati & defensi sunt. & 4. Regum 6. minister Elifai videt se igneis montibus & equitibus septuaginta custodi-

custodiri. Castra enim metatur Angelus Domini Zebaoth filius Dei, circumtinentes eum, & eripit eos. Inprimis verò dulcis Metaphora est in dicto, Qui vos tangit, tangit pupillam oculi eius. Vsurpata etiam à Davide Psalmo 16. Aduersus resistentes dexteram tuam custodi me vt pupillam oculi tui, sub vmbra alarum tuarum protege me. Et huc pertinet totus Psalmus 90. Qui habitat in abdito altissimi in protectione Dei caeli commorabitur, Dicit Domino susceptor meus es tu, & refugium meum, Deus meus, sperabo in te, Alis suis teget te, & sub alis eius securus eris, &c.

III. Testimonium, de aeterno patre, & filio ad ecclesiam misso, realiter à se mutuo distinctis & tamen *omnino*. Affirmat enim Dominus exercituum, seu (vt in Ebraeo nomen solius veri Dei proprium aliquoties usurpatur) I E H O V A H Zebaoth, filius Dei Dominus noster Iesus Christus, se à D O M I N O Zebaoth, aeterno patre M I T T I, vt veniat ad Iudaeos indutus humana natura, & inter eos habitet, & gloriam suam, doctrina & miraculis diuinæ omnipotentiae proprijs declaret, vt Iohan. 1. dicitur: In sua venit, &c. Verbum caro factum est & habitauit in nobis, & vidimus gloriam eius gloriam, quasi vnigeniti à patre. Iohan. 5. Opera, quae ego facio, testificantur de me, quod pater me miserit. Quae verba prorsus cum hac Zachariae concione congruunt, Habitabo & in gloriam ero in medio tui, vt cognoscas quod D O M I N V S Zebaoth misit me. Hæc dicit D O M I N V S Zebaoth: Post gloriam misit me ad gentes: Quae verba alij de gloria regni Babylonici & Persici finita & extincta: postquam Christus venturus sit; Alij de gloria regni Iudaici seu sceptro à Iuda ablato interpretantur. Sed simplicissima sententia est, quam membra orationis in hoc capite inter se collata gignunt, Cum enim antea dixerit Filius Dei, se in gloria fore in medio Ierosolymæ .i. se gloriam suam, videlicet diuinam naturam & omnipotentiam suam, & Doctrinam qua Deus pater & ipse recte cognoscatur & glorificetur, & amplissima ac verè gloriosa bona, quae ecclesiae imperit, gloriosis miraculis confirmaturum esse: Ideoq; exules Iudaeos redire Ierosolymam iubet, vt locum nascentis & docentis, & gloriosa miracula ædentis Christi instaurent: statim attexit doctrinam de Vocatione gentium ad Ecclesiae Christianae societatem per Apostolos aggregandam. Et post gloriam Christi, in his terris demonstratam, gentium vocationem vniuersalem inchoatum iri ostendit. Sicut Christus ipse post resurrectionem, ingressurus in gloriam suam, mandat dat Apostolis, Sicut misit me pater, ita & ego mitto vos. Euntes docete omnes gentes, prædicare Euangelium vniuersae creaturae.

III. De vocatione Gentium in Micheæ cap. 4. commonefactionem recitauit.

V. Dulcissima promissio de habitatione filij Dei in Ecclesia tanquam in domicilio & templo suo, præcipue etiam in hoc capite obseruetur Ecce ego veniam, & habitabo in medio tui, ait D O M I N V S. Quae verba prorsus cum Christi concione conueniunt, Iohan. 14. Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum, & veniemus ad eum, & mansionem apud eum faciemus. 1. Tim. 3. Ecclesia est D O M V S Dei, columna & sedes veritatis. Ephes. 2. Estis conciuēs sanctorum & domestici D E I, extructi super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, existente lapide angulari I E S V Christo, in quo omne ædificium coagmentatum crescit in templum sanctum Domino, in quo & ipsi coaedificantur in domicilium D E I in spiritu.